



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S: Euphrasia. 13. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

Christiani magnitudinem esse, magna facere, & parvum se reputare. *Magna & rara virtus est, ut magna licet operantem, magnum te nescias.* Bernard.

## S. EUPHRASIA.

13. Martii.

*Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Christus. Matth. 6.

**N**on facile ulla alia Virgo splendorem generis sui, ut EUPHRASIA, novit aestimare; quippe quæ alios, quantumvis nobiles thoros alto animo despexit omnes, unum CHRISTI ambitiosa expetiit. Fortè in hunc fixum cruci oculos defixerat; cum ut amor facile omnia sibi fringit, quæ arri- dent, passis brachiis amplexum offerri sibi interpretata, illicò in crucem involavit, & Amarum complexa etiam ipsa, æternum illi suos amores devovit; quin mox futurarum nuptiarum flammeum inter sacras Virgines accep-

accepit. Interea litteræ adsunt à Theodosio Imp. quem sanguine contingebat. Is quòd quinquennem Ordinis Senatorii Principi viro desponderat, jubebat nunc in ejus manus venire EUPHRASIAM. Sed pulchrè illa se jam in alterius manus venisse rescripsit, nec ex re sua, nec verò ex familiæ dignitate fore, immortalis Sponso mortalem antepone. Itaque jam liberè Amori suo vacans, sub dio cibi suiq; aliquando in trigésimum diem, sæpiùs in septimum oblita, ab Inferno rivali in puteù præcepta acta, ferventi perfusa oleo, aliq; perpeffa, cùm satis jam Sponso se probasset, ad nuptias est evocata. illas splendidissimè adornari vidit in celo, quæ asceterio Magistra præerat, còque abductam EUPHRASIAM à Sponsi MATRE corollâ nuptiali & dote in singulas virtutes donari. Quis jam dubitet pulchram EUPHRASIAM fuisse, quam tanto studio Matrum longè pulcherrima multò pulcherrimo Filio conciliabat. *Ex Surio.*

## MEDITATIO

### *De Jejunio.*

1. **S** EUPHRASIAE vita perpetuum fuit, & quidem rigidissimum jejunium, Christus, & sancti

Et omnes jejunârunt. Debes, quantũ tibi per vi-  
res licet, eos imitari, ut perceptam in cibo ac in  
potu immoderatam voluptatem luas. An delicatior  
es puellâ annorum 13. quæ hac ætate pœnitentiam  
exorsa est? Non te deficiunt vires, sed voluntas.

2. Jejunare debes, ne caro pugnet adversus  
spiritum. Quò magis deficit corpus, hoc virtus  
crescit magis. Scito, tuam tibi carnem esse infen-  
sissimam. & durius, quàm par sit, vix haberi posse.  
Si Sancti, qui corpus suum castigârunt jejuniis,  
ciliciis, verberibus, hanc tamen carnis rebellionẽ  
experti sunt, quid tu? qui adedò illi indulges?

3. Si propter affectam valetudinem, inediam su-  
stinere minimè possis, potes oculos ac linguam  
cohibere; hæc abstinentia non nocet sanitati, san-  
ctitati verò plurimùm confert. Prò stupor! in-  
fontes ac Sancti atrocius in sua sæviunt corpora;  
nos verò fontes atque peccatores pœnitentiæ no-  
mine nihil pati volumus. *Medicinam, quam invadunt  
sani, discant quarere vulnerati, & bona etiam parva  
ludentibus, ingentia ipsi mala lugere consuecans.* Euseb.  
Emiff.

---

## S. PETRUS ABBAS.

14 Martii.

*Populus hic labiis me honorat,  
cor autem eorum longè est à me.  
Christus. Matth. 51 Quàm*